

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens De Philosophia Volumen Primum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In M Tvllii Ciceronis Academicarvm Qvaestionvm Editionis Secvndae
Librvm I. Commentarius Aldi Mannuccij

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770549](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770549)



IN

M. TVLLII. CICERONIS

ACADEMICARVM . QVAESTIONVM

EDITIONIS . SECVNDAE

LIBRVM . I.

Commentarius Aldi Mannuccij



CICERO



NCVMANO nuper cum me cum Atticus noster esset, nunciatum est nobis a M. Varone, uenisse eum Roma pridie uesperis, & nisi de uia festus esset, continuo ad nos uenturum fuisse, quod cum audiuissemus, nullam moram interponendam putauimus, quin uideremus hominem nobiscum & studijs iisdem, & ueritate amicitiae coniunctum: itaque confestim ad eum ire perreximus: paullumq. cum eius uilla abessemus, ipsum ad nos uenientem uidimus: atque illum complexi, ut mos amicorum est, satis eum longo intervallo ad suam uillam reduximus. hic pauca primo, atq. ea perculantibus nobis, & si quid forte Roma noui; Atticus, omitte ista, quae nec percunctari, nec audire sine molestia possumus, quaeso, inquit; & quaere potius, ecquid ipse noui. silent enim diutius musae Varronis, quam

solebant: nec tamen istum cessare, sed celare quae scribat, existimo. Minime uero, inquit ille. intemperantis enim esse arbitror, scribere quod occultari uelit: sed habeo opus magnum in manibus; quod iam pridem ad hunc ipsum (me autem dicebat) quaedam institui, quae & sunt magna sane, & limanur a me polius. Et ego, ista quidem, inquam, Varro, iam diu expectans, non audeo tamen flagitare. audiui enim e Libone nostro, cuius nostri studium, (nihil enim eiusmodi celare possumus) non ea te intermittere, sed accuratius tractare, nec de manibus umquam deponere. illud autem mihi ante hoc tempus numquam in mentem uenit a te requirere. sed nunc, postea quam sum ingressus res eas, quas tecum simul didici, mandare monumentis, philosophiamq. ueterem illam, a Socrate ortam, Latiniis litteris illustrare; quaero, quid sit, cur, cum multa scribas, genus hoc praetermittas; praesertim cum & ipse in eo excellas; & id studium, totaq. ea res longe ceteris & studijs, & artibus antecedit.

EXPLANATIO



NCumano } uilla Ciceronis, non procul a Cumis Lucaniae opido. **ET si quid forte Roma noui;** } Mallem sic: Ecquid forte Roma noui, notum loquendi genus. Haec Paullus pater. **ET si quid forte Roma noui:** usitata percunctatio: fere enim fit, ut eos, qui ex aliqua celebre urbe ueniunt, interro gemus, quid noui? **OMITTE ista** } Captatur occasio de studijs litterarum colloquendi **INTEMPERANTIS** } notabile dictum **HABEO opus magnum** } fortasse de lingua Latina quod multis libris editum est.

CICERO



C I C E R O

TVM ille, rem a me saepe deliberatam, & multum agitatam, requiris. itaque, non multum haesitans, respondebo: sed ea dicam, quae mihi sunt in promptu; quod ista ipsa de re multum, ut dixi, & diu cogitavi. Nam, cum philosophiam uiderem diligentissime litteris Graecis explicatam, existimaui, si qui de nostris eius studio tenerentur, si essent Graecis doctrinis eruditi, Graeca potius, quam nostra, lecturos; si a Graecorum artibus, & disciplinis abhorrerent, ne haec quidem curaturos, quae sine eruditione Graecae intelligi non possunt: itaque ea nolui scribere, quae nec indocti intelligere possent, nec docti legere curarent. uides autem eadem ipse. didicisti enim non posse nos Amasiani, aut Rabirij similes esse; qui, nulla arte adhibita, de rebus ante oculos positis uulgari sermone disputant, nihil definiunt, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, nullam denique artem esse nec dicendi, nec disserendi putant. nos autem praecipue dialecticorum, & oratorum, (quoniam utramque unam esse nostri putant) sic parentes, ut legibus, uerbis, quamquam nouis, cogimur uti: quae docti, ut dixi, a Graecis petere malunt, indocti ne a nobis quidem

accipiunt: ut frustra omnis suscipiatur labor. Iam uero, physica, si Epicurum, id est si Democritum probarem, possem scribere ita plane ut Amasianus. quid est enim magnum, cum causas rerum efficientium susluleris, de corpusculorum (ita enim appellat Atomos) concursione fortuita loqui? nostra tu physica nostri, quae contineantur ex effectione, & ex materia ea, quam fingit, & format effectio. Adhibenda etiam geometria est: (quoniam quibusnam quisquam enunciare uerbis, aut quem ad intelligendum poterit adducere?) haec ipsa de uita, & moribus, de expetendis, fugiendisq. rebus. illi enim simpliciter pecudis & hominis idem bonum esse censent. apud nostros enim, non ignoras, quae sit, & quanta subtilitas. siue enim Zenonem sequare: magnum est efficere, ut quis intelligat, quid sit illud uerum, & simplex bonum, quod non possit ab honestate seiungi: quod bonum quale sit, negat omnino Epicurus sine uoluptatibus sensum mouentibus, nec suscipiari. si uero Academicam ueterem persequamur, quam nos, ut scis, probamus: quam erit illa acute explicanda nobis? quam argute, quam obscure etiam contra Stoicos disserendum?

E X P L A N A T I O

STEPTOVRVM, id est si Democritum? Auctor est Laetius, Epicurum Democrati libros de Atomis ut suos asseruisse. QVAM nos, & Academicos M. Varro magistros habet. Hi pincipia rerum naturalium materiam, & formam statuunt omniaque naturalibus, & necessarijs causis effici censent, ad certum finem destinatis. QVAM obscure? Stoicorum namque disciplina in paradoxis admirabilibus intricata.

C I C E R O

TOTVM igitur illud philosophiae studium mihi quidem ipse sumo & ad uitae consuetudinem, & constantiam quantam possum, & ad delectationem animi; nec ullum arbitror, ut apud Platonem est, maius, aut melius a dijs datum munus homini: sed meos amicos, in quibus est studium, in Graeciam mitto, id est ad Graecos ire iubeo, ut ea a fontibus potius hauriant, quam riuulos conseruentur. quae autem nemo adhuc docuerat, nec erat unde studiosi scire possent, ea, quantum potui, (nihil enim magnopere meorum miror) feci ut essent nota nostris. a Graecis enim peti non poterant, ac post L. Aelij nostri occasum, ne a Latinis quidem. & tamen in illis ueteribus nostris, quae, Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus, multa admista ex intima philosophia, multa dialectice dicta: quae quo facilius minus docti intelligerent incun-

ditate quadam ad legendum inuitati, in laudationibus, in ijs ipsis antiquitatum prooemijs philosophice scribere uoluimus, si modo consecuti sumus. Tum ego, sunt, inquam, isti, Varro. nam nos, in nostra urbe peregrinantes, errantesq., tamquam hospites, tui libri, quasi domum, reduxerunt; ut possemus, aliquando, qui, & ubi essemus, agnoscere, tu aetatem patriae, tu descriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu sacerdotum, tu domesticam, tu bellicam disciplinam, tu sedem regionum, locorum, tu omnium diuinarum, humanarumq. rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti: plurimumq. poetis nostris, omninoq. Latinis & litteris luminis attulisti, & uerbis: atque ipse uarium, & elegantium omni fere numero, poema fecisti: philosophiamq. multis locis inchoasti, ad impellendum satis, ad docendum parum.

E X P L A N A T I O

SED meos amicos? Varroni non placet philosophiam naturalem Latine ciuibus suis explicare. LAELII nostri? Librarij, cum in describendo non perciperent, quid sibi antiquae notae uellent, eas uel immutabant, uel cum sequenti uoce coniungebant: ut hoc loco, Laelij nostri, scripserant: cum, L. Aelij nostri, uera, & incorrupta sit lectio: quod & ueterum librorum auctoritate, & historiae fide comprobatur. est enim hic L. Aelius Stilo, cognomento Praeconinus; qui orationes scripsit, quas alij dicerent: a quo M. Varro rerum antiquarum scientiam cum accepisset, eam ipse auxit, & illustriorib. litteris explicauit.



cauit. Cicero de claris orat. de leg. lib. 2. Varro, Festus, Plinius lib. ix. cap. 3. s. lib. xxxv. cap. i. & Gellius lib. i. cap. 18. lib. x. i. c. 4. lib. xvi. cap. 8. & Suetonius de claris grammaticis. Mendose autem in Varrone, lib. 1v. C. Aelius Silius legitur: errore fortasse nato ex praenomine alterius Aelij, cui Gallo cognomen fuit. In Gellio quoque, Laelij pro L. Aelij, mendose legitur. Haec Paullus pater. MENIPPVM 3 Gellius lib. xvi. cap. 30. Probus in illo uersu Virgil. Rara per ignotos &c. & Macr. lib. 1. & 2. Varro, inquit, in illa lepidissima satyra Menippea, quae inscribitur, Nescis, quid uesper uehat. & Carisius lib. 1. uide apud Laertium Menippi uitam: cuius libri multo risu referti. Haec Paullus pater. TV aetatem patriae, 3 Varronis industriam dum commendat Cicero, aditum sibi facit ad refellendum illum. OMNINOQ. Latinis, & litteris luminis attulisti, & uerbis: 3 distinguuntur a litteris uerba: quod mihi non probatur. nam, cum Latinas litteras, aut Latinam linguam nominamus, uerba simul intelligi constat, uel potius ipsa tantum uerba. Erratum crediderim a librario, qui, Verbis, pro Rebus, per incuriam scripserit. adiuuat autem opinionem nostram ipse Cicero, auctam a Varrone linguam Romanam copia rerum potius, quam uerborum, alio loco ostendens. Tu uero, inquit infra, Varro, bene etiam meritorius mihi uideris de tuis ciuibus, si eos non modo copia rerum auxeris, ut effecisti, sed etiam uerborum. Haec Paullus pater.

CICERO

CAUSSAM autem probabilem tu quidem affers: (aut enim Graeca legere malent, qui erunt eruditi; aut ne haec quidem, qui illa nesciunt) sed da te mihi nunc: satis ne probas? immo uero & haec, qui illa non poterunt; & qui Graeca poterunt, non contemnent sua. quid enim caussae est, cur poetas Latinos Graecis litteris eruditi legant, philosophos non legant? an, quia delectat Ennius, Pacuuius, Attius, qui non uerba, sed uim Graecorum expresserunt poetarum? quanto magis philosophi delectabunt, si, ut illi Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, sic hi Platonem imitentur, Aristotelem, Theophrastum? Oratores quidem laudari uideo, si qui nostris Hyperidem sint, aut Demosthenem imitati. ego autem, (dicam enim, ut res est) dum me ambitio, dum honores, dum caussae, dum reip. non solum cura, sed quaedam etiam procuratio multis officijs implicatum, & constrictum tenebat, haec inclusa habebam, & ne obsolescerent, renouabam, cum licebat, legendo: nunc uero & fortunae grauissimo percussus uulnere, & administratione reip. liberatus, doloris medicinam a philosophia peto, & otij oblectationem hanc honestissimam iudico. aut enim huic aetati hoc maxime aptum est; aut ijs rebus, si quas dignas laude gestimus, hoc in primis consentaneum; aut etiam ad nostros ciues erudiendos nihil utilius: aut, si haec ita non sunt, nihil aliud uideo, quod agere possimus. Brutus qui dem noster, excellens omni genere laudis, sic philoso-

phiam Latinis litteris persequitur, nihil ut iisdem de rebus Graeca desideres. & eandem quidem sententiam sequitur, quam tu. nam Aristum Athenis audiuit aliquandiu; cuius tu fratrem Antiochum. quamobrem da, quae so, te huic etiam generi litterarum. Tum ille, istuc quidem considerabo, nec uero sine te. sed de te ipso quid est, inquit, quod audio? Quanam, inquam, de re? Relictam a te ueterem iam, inquit, tractari autem nouam, Qui ergo, inquam, Antiocho id magis licuerit, nostro familiari, remigrare in domum ueterem e noua, quam nobis in nouam e ueterem? certe enim recentissima quaeque sunt correctae, & emendatae maxime. quamquam Antiochi magister Philo, magnus uir, ut tu existimas ipse, negarit in libris, quod coram etiam ex ipso audiebamus, duas Academias esse: erroremque eorum, qui ita putarunt, coarguit. Est, inquit, ut dicis: sed ignorare te non arbitror, quae contra Philonem Antiochus scripserit. Immo uero & istam, & totam ueterem Academiam, a qua absun tam diu, renouari a te, nisi molestum est, uelim: & simul assidamus, inquam, si uideatur. Sane istud quidem, inquit, sum enim admodum infirmus. sed uideamus, idem ne Attico placeat fieri a me, quod te uelle uideo. Tibi uero, inquit ille, quid est enim, quod malim, quam ex Antiocho iam pridem audita recordari, & simul uidere, satis ne ea commode dici possint Latine?

EXPLANATIO

NUNC uero 3 tres affert caussas, cur senex philosophiae incumbat, Reipub. perturbationem, oblectationem otij, & philosophiae dignitatem.

CICERO

QVAE cum sunt dicta, in conspectu consedimus omnes. Tum Varro ita exorsus est. Socrates mihi nideretur, id quod constat inter omnes, primus a rebus occultis, & ab ipsa natura inuolutis, in quibus omnes ante eum philosophi occupati fuerunt, auocauisse philosophiam, & ad uitam communem adduxisse, ut de uirtutibus, & uitijs, omninoq. de bonis rebus, & malis quaereret, caelestia autem uel procul esse a nostra cogni-

tione censeret, uel, si maxime cognita essent, nihil tamen ad bene uiuendum conferre. hic in omnibus fere sermonibus, qui ab ijs, qui illam audierunt, per scripti uarie, copiose sunt, ita disputat, ut nihil affirmet ipse, refellat alios; nihil se scire dicat, nisi id ipsum; eoque praestare ceteris, quod illi, quae nesciant, scire se putent, ipse, se nihil scire, id unum sciat; ob eamq. rem se arbitrari ab Apolline omnium sapientissimum esse dictum,

Etum, quod haec esset una omnis sapientia, non arbitri se se scire, quod nesciat. quae cum diceret constanter, & in sententia permaneret; omnis eius oratio tum in uirtute laudanda, & in omnibus hominibus ad uirtutis studium cohortandis consumebatur; ut Socraticorum libris, maximeque Platonis intelligi potest. Platonis autem auctoritate, qui uariis, & multiplex, & copiosus fuit, una, & consentiens duobus uocabulis, philosophiae forma instituta est, Academicorum, & Peripateticorum: qui, rebus congruentes, nominibus differabant. nam cum Speusippum sororis filium, Plato philosophiae quasi heredem reliquisset, duos autem praestantissimos studio, atque doctrina, Xenocratem Chalcedonium, & Aristotelem Stagiritem: qui erant cum Aristotele, Peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambulantes in Lyceo; illi autem, qui Platonis instituto in Academia, quod est alterum gymnasium, coetus erant & sermones habere soliti, ex loci uocabulo nomen habuerunt: sed utriusque Platonis ubertate completi, certam quandam discipli-

nae formulam composuerunt, & eam quidem plenam, ac refertam: illam autem Socraticam dubitationem de omnibus rebus, & nulla affirmatione adhibita, consuetudinem differendi reliquerunt. ita facta est differendi, quod minime Socrates probabat, ars quaedam philosophiae, & rerum ordo, & descriptio disciplinae. quae quidem erat primo duobus, ut dixi, nominibus una. nihil enim inter Peripateticos, & illam ueterem Academicam differebat. abundantia quadam ingenij praestabat, ut mihi uidetur quidem, Aristoteles: sed idem fons erat utrisque, & eadem rerum expetendarum, fi giendarumque, partitio. Sed quid ago, inquit? aut sumne sanus, qui haec uos doceo? nam etsi non sus Mineruam, ut aiunt: tamen inepte, quisquis Mineruam docet. Tum Atticus, tu uero, inquit, perge, Varro, ualde enim amo nostra, atque nostros: meque ista delectant, cum latine dicuntur, & isto modo. Quid me, inquam, putas? qui philosophiam iam professus sim populo nostro exhibiturum.

EXPLANATIO

PERSCRIPTI uarie, copiose sunt, & Pertinet ad Latinam linguam, non ignorari, copulam de industria non numquam a Cicerone praetermitti; ne quis eam hic putet desiderari. nam lib. x. c. 1. fam. ep. 24. ad Sulpicium, Peto, inquit, a te, ut eum etiam tuis officijs, liberalitate complectare. Et ep. 28. ad eundem: Ut ipse iudices homini te gratissimo, iucundissimo benigne fecisse. Et lib. i. v. ad Att. ep. 3. De cuius constantia, uirtute uerissime litterae. Haec Paullus pater.

CICERO

PERGAMVS igitur, inquit, quoniam placet. Fuit ergo, iam accepta a Platone, philosophandi ratio triplex; una de uita, & moribus; altera de natura, & rebus occultis; tertia de differendo, & quid uerum, quid falsum, quid rectum in oratione, prauum uero, quid consentiens, quid repugnans, iudicando. Ac primam partem illam bene uiuendi a natura petebant, eiq. parendum esse dicebant, neque ulla alia in re, nisi in natura, quaerendum esse illud summum bonum, quo omnia referrentur: constituebantque, extremum esse rerum expetendarum, & finem bonorum, adeptum esse omnia e natura, & animo, & corpore, & uita. Corporis autem alia ponebant esse in toto, alia in partibus; ualetudinem, uires, pulchritudinem in toto; in partibus autem sensus integros, & praestantiam aliquam partium singularum, ut in pedibus celeritatem, uim in manibus, claritatem in uoce, in lingua etiam explanatam uocum impressionem. Animi autem, quae essent ad comprehendendam ingenij uirtutem idonea, eaq. ab ijs in naturam, & mores diuidebantur. naturae celeritatem ad discendum, & memoriam dabant; quorum utrumque mentis esset proprium, & ingenij: morum autem putabant studia esse, & quasi consuetudinem; quam partim exercitationis assiduitate, partim ratione formabant. in quibus erat philosophia ipsa. in qua quod inchoatum est, neque absolutum, progressio quaedam ad uirtutem appellatur; quod autem absolutum, id est uirtus, quasi perfectio naturae, omniumque rerum, quas in animis ponunt, una res optima. Ergo haec animorum. Vitae autem (id enim erat tertium) adiuncta

esse dicebant, quae ad uirtutis usum ualerent. Iam uirtus animi bonis, & corporis cernitur in quibusdam, quae non tam naturae, quam beatae uitae adiuncta sunt. Hominem esse censebant quasi partem quandam ciuitatis, & uniuersi generis humani, eumque esse coniuictum cum hominibus humana quadam societate. Ac de summo quidem ac naturali bono sic agunt: cetera autem pertinere ad id putant, aut ad agendum, aut ad tuendum, ut diuitias, ut opes, ut gloriam, ut gratiam. ita tripartita ab ijs inducitur ratio bonorum. Atque haec illa sunt tria genera, quae putant plerique Peripateticos dicere: id quidem non falso: est enim haec partitio illorum: illud imprudenter, si alios esse Academicos, qui tum appellarentur, alios Peripateticos arbitrantur. communis haec ratio, & utrisque hic bonorum finis uidebatur, adipisci, quae essent prima in natura, quaeque ipsa per sese expetenda, aut omnia, aut maxima. ea sunt autem maxima, quae in ipso animo, atque in ipsa uirtute uersantur. itaque omnis illa antiqua philosophia sensit in una uirtute esse positam beatam uitam, nec tamen beatissimam, nisi adiungerentur & corporis, & cetera, quae supra dicta sunt, ad uirtutis usum idonea. Ex hac descriptione, agendi quoque aliquid in uita, & officij ipsius initium reperiebatur: quod erat in conseruatione earum rerum, quas natura praescriberet. hinc gignebatur fuga desidia, uoluptatumque contemptio: ex quo laborum, dolorumque susceptio multorum, magnorumque, recti honestique causa, & earum rerum, quae erant congruentes cum descriptione naturae: unde & amicitia exsistebat, & iustitia, atque

atque acuitas . haec & uoluptatibus , & multis uitae commodis anteponebantur . Haec quidem fuit apud eos morum institutio , & eius artis , quam primam posuit , forma , atque descriptio .

EXPLANATIO

IN lingua etiam explanatam uocum impressionem . ꝛ moneo studiosos , ut consulant ueteres libros . nam mihi placeret magis , Expressionem : licet , Impressionem , aliqua omnino sententia non careat . Haec Paullus pater . Ad comprehendendam ingenij uirtutem ꝛ Fateor , me nescire , quid sibi uelit , Ingenij uirtutem : & interdum uel abundare , Ingenij , uel corruptum esse , credidi . Haec Paullus pater .

CICERO

DE natura autem (id enim sequebatur) ita dicebant , ut eam diuiderent in res duas ; ut altera esset efficiens , altera autem quasi huic se praebens , ea , qua efficeretur aliquid . in eo , quod efficeret , uim esse censebant ; in eo autem , quod efficeretur , materiam quandam ; in utroque tamen utrumque : neque enim materiam ipsam cohaerere potuisse , si nulla ui contineretur , neque uim sine aliqua materia . nihil est enim , quod non alicubi esse cogatur . Sed , quod ex utroque , id iam corpus , & quasi qualitatem quandam nominabant .

dabitur enim profecto , ut in rebus inusitatis , quod Graeci ipsi faciunt , a quibus haec iam diu tractantur , utamur uerbis interdum inauditis . Nos uero , inquit Atticus . quin etiam Graecis licebit utare , cum uoles ; si te Latina forte deficient . Bene sane facis : sed enitar , ut Latina loquar , nisi in huiusmodi uerbis , ut philosophiam aut rhetoricam , aut physicam , aut dialecticam appellem ; quibus , ut alijs multis , consuetudo iam utitur pro Latinis .

EXPLANATIO

DE natura autem ꝛ a philosophia morali Varro transit ad explicationem naturae . DABITIS ꝛ Excusatur de nouitate uocabulorum , quae quasi necessaria in quaque arte uersatur , quando quidem priuatis quaeque suis uentur uocabulis .

CICERO

QUALITATES igitur appellauit , quas ποιότητες Graeci uocant : quod ipsum apud Graecos non est uulgi uerbum , sed philosophorum , atque id in multis dialecticorum quoque uerba nulla sunt publica : suis utuntur . & id quoque commune omnium fere artium . aut enim noua sunt rerum nouarum facienda nomina , aut ex alijs transferenda . quod si Graeci faciunt , qui in his rebus tot iam saecula uersantur : quanto id magis nobis concedendum est , qui haec nunc primum tractare conamur ? Tu uero , inquam , Varro , bene etiam meriturus mihi uideris de tuis ciuibus , si eos non modo copia rerum auxeris , ut effecisti , sed etiam uerborum . Audebimus ergo , inquit , nouis uerbis uti te auctore , si necesse est . Earum igitur qualitatum sunt aliae principes , aliae ex ijs ortae . principes sunt uniusmodi , & simplices . ex his autem ortae uariae sunt , & quasi multiformes . itaque aer quoque , (utimur enim pro Latino) ignis , & aqua , & terra , prima sunt . ex ijs autem ortae animantium formae , earumque rerum , quae gignuntur e terra . ergo illa initia (ut e Graeco uertam) elementa dicuntur : e quibus aer , & ignis mouendi uim habent , & efficiendi , reliquae partes accipiendi , & quasi patiendi : aquam dico , & terram . Quintum genus , e quo essent astra , mentesque singulares , eorum quattuor , quae supra dixi , dissimile Aristoteles quoddam esse rebatur .

EXPLANATIO

QUALITATVM sunt aliae principes , ꝛ Principes qualitates a Latinis dicuntur elementa , scilicet Ignis , aer , aqua , & terra .

CICERO

SED subiectam putat omnibus sine ulla specie , atque carentem omni illa qualitate (faciamus enim tractando usitatus hoc uerbum , & tritius) materiam quandam , ex qua omnia expressa , atque efficta sint , quae tota omnia accipere possit , omnibusque modis mutare , atque ex omni parte , eoque etiam interire non in nihilum , sed in suas partes , quae infinite secari , ac diuidi possint ; cum sit nihil omnino in rerum natura minimum , quod diuidi nequeat : quae autem moueantur , omnia interuallis moueri ; quae interualla item infinite diuidi

quædã possint. & cum ita moueatur illa uis, quam qualitatem esse diximus; & cum sic ulro citroq. uersetur: & materiam ipsam totam penitus commutari putant, & ita effici quæ appellant qualia; e quibus in omni natura coherente, & continuata cum omnibus suis partibus effectum esse mundum, extra quem nulla pars materiae sit, nullumq. corpus: partes autem esse mundi omnia, quæ insunt in eo, quæ natura sentiente teneantur, in qua ratio perfecta insit, quæ sit eadem sempiterna: nihil enim ualentius esse, a quo intereat. quã uim animum esse, dicunt mundi, eandemq. esse men-

tem, sapientiamq. perfectam; quem deum appellant, omniumq. rerum, quæ sunt ei subiectæ, quasi prudentiam quandam, procurantem caelestia maxime, deinde in terris ea, quæ pertinent ad homines: quam interdum necessitatem appellant, quia nihil aliter possit, atque ab ea constitutum sit, inter quasi fatalem & immutabilem continuationem ordinis sempiterni: non numquam quidem eandem fortunam, quod efficiat multa improuisa, nec opinata nobis propter obscuritatem, ignorantemq. causarum.

EXPLANATIO

MATERIAM quandam ex qua omnia expressa, atque effecta sint, & Effecta, malui, quam Effecta. nam & in Lucullo, licet alia de re, Visum, inquit, impressum, effectumq. ex eo, unde esset. Et ibidem: Impressum, & signatum, & effectum. In oratione autem pro Amerino: Ut effectos, inquit, nostros mores in alienis personis, expressamq. imaginem nostram uitæ quotidianæ uideremus. Scriptor etiam Rhet. ad Herennium lib. I. V. Expressere, & effingere uerbis formam corporis. Haec Paullus pater. **I**TER quasi fatalem, & immutabilem continuationem ordinis sempiterni: & Melius, & apertius, Iter quasi fatale. Sic habet scriptus liber; mihi tamen placeret: Fieri, quasi fatalem &c. Tota sententia perpendatur. nostra fortasse non repudiabitur opinio. Haec Paullus pater.

CICERO

TERTIA deinde philosophiæ pars, quæ erat in ratione, & differendo, sic tractabatur ab utrisque: quamquam oriretur a sensibus, tamen non esse iudicium ueritatis in sensibus. mentem uolebant rerum esse iudicem: solâ censebant idoneâ, cui crederetur; quia solâ cernebat id, quod semper esset simplex, & uniusmodi, & tale, quale esset. hanc illi ideam appellabant, iam a Platone ita nominatam: nos recte speciem possumus dicere. Sensus autem omnes hebetes, & tardos esse arbitrabantur, nec percipere ullo modo res eas, quæ

subiectæ sensibus uiderentur: quæ essent aut ita paruæ, ut sub sensum cadere non possent; aut ita mobiles, & concitatae, ut nihil unquam unum esset constans, ne idem quidem, quia continenter laberentur, & fluerent omnia. itaque hanc omnem partem rerum opinabilem appellabant. scientiam autem nusquam esse censebant, nisi in animi motionibus, atque rationibus, qua de causa definitiones rerum probabant, & has ad omnia, de quibus disceptabatur, adhibebant.

CICERO

VERBORVM etiam explicatio probabatur, quæ de causa quæque essent ita nominata: quam etymologiam appellabant. Post argumentis, & quasi rerum notis utebantur ad probandum, & ad concludendum id, quod explanari uolebant: in quo tradebatur omnis dialectica disciplina, id est orationis ratione conclusæ. huic quasi ex altera parte oratoria uis dicendi adhibebatur, explicatrix orationis perpetuæ ad persuadendum accommodatæ. Haec erat illis prima, a Platone tradita: cuius quas acceperim disputationes, si uultis, exponam. Nos uero uolumus, inquam; ut pro Attico etiam respondeam. Et recte, inquit, respondes. præclare enim explicatur Peripateticorum, & Academiae ueteris auctoritas. Aristoteles primus species, quas

paullo ante dixi, labefactauit: quas mirifice Plato erat amplexatus; ut in his quiddam diuinum esse diceret. Theophrastus autem, & oratione suauis, & ita moderatus, ut præ se probitatem quandam, & ingenuitatem ferat, uehementius etiam fregit quodam modo ueteris disciplinae auctoritatem: spoliavit enim uirtutem suo decore, imbecillamq. redidit, quod negauit in ea sola positum esse beate uiuere. Nam Strato, eius auditor, quamquam fuit acri ingenio, tamen ab ea disciplina omnino semouendus est: qui cum maxime necessariam partem philosophiæ, quæ posita est in uirtute, & moribus, reliquisset, totumq. se ad inuestigationem naturæ contulisset; in ea ipsa plurimum discedit a suis.

CICERO

SPEUSIPPVS autem, & Xenocrates, qui primi Platonis rationem, auctoritatemq. susceperant; & post hos Polemo, & Crates, unaq. Crantor, in Acade-

mia congregati, diligenter ea, quæ a superioribus acceperant, tuebantur. iam Polemonem audierunt assidue Zeno, & Arcesilas. sed Zeno, cum Arcesilam antiret aciate,



æetate, ualdeq. subtiliter differeret, & peracute moueretur, corrigere conatus est disciplinam. eam quoque, si uideatur, correctionem explicabo, sicut solebat. Antiochus. Mihi uero, inquam, uidetur: quod uides idem significare Pomponium. Zeno igitur nullo modo is erat, qui, ut Theophrastus, nervos uirtutis incidere; sed contra, qui omnia, quæ ad beatam uitam pertinerent, in una uirtute poneret, nec quidquam aliud numeraret in bonis, idq. appellaret honestum, quod esset simplex quoddam, & solum, & unum bonum. cetera autem, etsi nec bona, nec mala essent, tamen alia secundum naturam dicebat, alia naturæ esse contraria. ijs ipsis alia interiecta, & media numerabat. quæ autem secundum naturam essent, ea sumenda, & quadam æstimatione dignanda docebat; contraq. contraria: neutra autem in medijs relinquebat: in quibus ponebat nihil omnino esse momenti: sed, quæ essent sumenda, ex ijs alia pluris esse æstimanda; alia minoris; quæ pluris, ea praeposita appellabat; reiecta autem, quæ minoris. Atque, ut hæc non tam rebus, quam uocabulis commutauerat: sic inter recte factum, atque peccatum, officium, & contra officium media locabat quaedam, recte

facta sola in bonis actionibus ponens, prauæ, id est peccata, in malis officia autem & seruata, praetermissaq. media putabat, ut dixi. Cumq. superiores non omnem uirtutem in ratione esse dicerent, sed quaedam uirtutes natura, aut more perfectas: hic omnes in ratione ponebat. Cumq. illi ea genera uirtutum, quæ supra dixi, seungi posse arbitrarentur: hic nec id ullo modo fieri posse differebat, nec uirtutis usum modo, ut superiores, sed ipsam habitum per se esse præclarum, ne tamen uirtutem cuiquam adesse, quin ea semper uteretur. Cumq. perturbationem animi illi ex homine non tollerent; naturaq. & condolecere, & concupiscere, & extimescere, & efferræ lætitiæ dicerent, sed ea contraherent, in angustumq. deducerent: hic omnibus his quasi morbis uoluit carere sapientem. Cumq. eas perturbationes antiqui naturales esse dicerent, & rationis expertes; aliaq. in parte animi cupiditatem, alia rationem collocarent: ne his quidem assentiebatur: nam & perturbationes uoluntarias esse putabat, opinionisque iudicio suscipi; & omnium perturbationum arbitratur esse matrem immoderatam quandam intemperantiam. Hæc fere de moribus.

EXPLANATIO

OFFICIA autem & seruata, praetermissaq. media putabat, & Ornamenti causa, Et, iterari, notum est: inferri autem, Que, post Er, quod hic Cicero facit, minus tritum est in consuetudine Latinae linguae. itaque, nemendofus locus putetur, exempla subiungam. lib. i. v. de Fin. Omne animal ipsum sibi commendatum, ut se & saluum in suo genere, incolumemq. uellet. Et li. v. Quis est, qui non intelligat, & eos, qui fecerunt, immemores fuisse utilitatum suarum; nos nulla alia re, nisi honestate, duci. Simile etiam illud lib. i. de Fin. Ex quo intelligitur, nec intemperantiam per se fugiendam esse, temperantiamq. expetendam, non quia uoluptates fugiat, sed quia maiores consequatur. Et illud Sallustij in Jugurtha: Hæc, atque alia maiores uestri faciendo, seque, & temp. celebrauerunt. Hæc Paullus pater.

CICERO

DE naturis autem sic sentiebat, primum ut in quatuor initijs rerum illis quintam hæc naturam, ex qua superiores sensus, & mentem effici rebantur, non adhiberet. Statuebat enim, ignem esse ipsam naturam, quæ quidque gigneret, & mentem, atque sensus. Discrepabat etiam ab iisdem, quod nullo modo arbitratur quidquam effici posse ab ea, quæ expertis esset corporis: cuius generis Xenocrates, & superiores etiam animum esse dixerunt: nec uero, aut quod efficeret aliquid, aut quod efficeretur, posse esse non corpus. Plurima autem in illa tertia philosophiæ parte mutauit. in qua primò de sensibus ipsis quaedam dixit noua: quos iunctos esse censuit e quadam quasi impulsione oblata extrinsecus: quam ille *quædam*, nos uisum appellemus licet, & teneamus hoc uerbum quidem: erit enim utendum in reliquo sermone saepius. Sed ad hæc, quæ uisa sunt, & quasi accepta sensibus, assensionem adiungit animorum: quam esse uult in nobis positam, & uoluntariam. Visi non omnibus adiungebat fidem, sed ijs solum, quæ propriam quandam haberent declarationem earum rerum, quæ uiderentur: id autem uisum cum ipsum per se cerneretur, comprehensibile. Ferretis hæc? Nos uero, inquam, quoniam enim modo *quædam* diceretis? Sed, cum acceptum iam, & approbatum esset, comprehensionem appellabat, similem ijs

rebus, quæ manu prenderentur: ex quo etiam nomen hoc duxerat; cum eo uerbo ante nemo tali in re usus esset. plurimisq. idem nouis uerbis (noua enim dicebat) usus est. Quod autem erat sensu comprehensum, id ipsum sensum appellabat: & si ita erat comprehensum, ut conuelli ratione non posset, scientiam, sin aliter, inscientiam nominabat; ex qua existeret etiam opinio, quæ esset imbecilla, & cum falso, incognitoq. communi. Sed inter scientiam, & inscientiam, comprehensionem illam, quam dixi, collocabat; eamq. neque in re, neq. in prauis numerabat, sed soli credendum esse dicebat. e quo sensibus etiam fidem tribuebat; quod, ut supra dixi, comprehensio facta sensibus & uera esse illi, & fidelis uidebatur; non quod omnia, quæ essent in re, comprehenderet; sed quia nihil, quod cadere in eam posset, relinqueret; quodq. eam natura quasi normam scientiæ, & principium sui dedisset; unde postea notiones rerum in animis imprimerentur; e quibus non principia solum, sed latiores quaedam ad rationem inueniendam uiae reperiuntur. Errorum autem, & temeritatem, & ignorantiam, & opinionem, & suspicionem, & uno nomine omnia, quæ essent aliena firmæ, & constantis assensionis, a uirtute, sapientiæq. remouebat. Atque in ijs fere commutatio consistit omnis, dissensioq. Zenonis a superioribus.

EXPLA-

EXPLANATIO

VISUM cum ipsum per se cerneretur, comprehensibile ꝛ addidi, Per se, ex antiquo libro. Ex quo etiam nomen hoc duxerat; cum eo uerbo ante nemo tali in re usus esset. ꝛ Emendavi, ut puto, hunc locum, rectiusq., quam in omnibus libris legebatur, distinxi, erat autem sic: Ex quo etiam nomen hoc duxerat. at cum eo uerbo antea nemo tali in re usus erit, plurimisq. idem &c. Vtrum autem coniectura nostra probari debeat, alii uideant. Haec Paullus pater. **L**ATIORES quaedam ad rationem inueniendam uiae reperiuntur. ꝛ Patet sententia, nec mutò quidquam; consuetudo tamen linguae Latinae postulare uideatur, Aperiuntur. Haec Paullus pater.

CICERO

QVAE cum dixisset; breuiter sane, minimeq. obscure exposita est, inquam, a te, Varro, & ueteris Academiae ratio, & Stoicorum: uerum esse autem arbitror, ut Antiocho, nostro familiari, placebat, correctionem ueteris Academiae potius, quam aliquam nouam disciplinam, putandam. Tunc Varro, tuae sunt nunc partes, inquit, qui ab antiquorum ratione nunc desiscis, & ea, quae ab Arcefila nouata sunt, probas, docere, quod, & qua de causa dissidium factū sit; ut uideamus, satis ne ista sit iusta defectio. Tum ego, cum Zenone, inquam, ut accepimus, Arcefila sibi omne certamen instituit, non pertinacia, aut studio uincendi, ut mihi quidem uidetur, sed earum rerum obscuritate, quae ad confessionem ignorationis adduxerant Socratem, & ueluti amantes Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes paene ueteres: qui nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse dixerunt; angustus sensus, imbecillos animos, breuia curricula ui

tae, & ut Democritus, in profundo ueritatem esse demersam; opinionibus, & institutis omnia teneri, nihil ueritati relinqui: deinceps omnia tenebris circumfusa esse dixerunt. itaque Arcefilas negabat esse quidquam, quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset. sic omnia latere censebant in occulto, neque esse quidquam, quod cerni, aut intelligi posset: quibus de causis nihil oportere neque profiteri, neque affirmare quemquam, neque assertionem approbare, cohibereq. semper, & ab omni lapsu continere remeritatem; quae tum esset insignis, cum aut falsa, aut incognita res approbaretur: neque hoc quidquam esse turpius, quam cognitioni, & perceptioni assertionem, approbationemq. praecurrere. huic rationi quod erat consentaneum, faciebat, ut contra omnium sententias dies iam plerosq. deduceret; ut, cum in eadem re paria contrarijs in partibus momenta rationum inuenirentur, facilius ab utraque parte assertio suslineretur.

EXPLANATIO

AB antiquorum ratione nunc desiscis, ꝛ Abest, Nunc, ab antiquo libro: nec sane quidquam assert ad sententiam. Haec Paullus pater. **N**ITIL sciri posse dixerunt; ꝛ Aut hic, Dixerunt, aut in extrema periodo uidetur otiosum esse. quorsum enim iteretur; nec uero quidquam affirmo; sed, ut ad diligentiam lector excitetur, quidquid mendosum suspicor, libenter indico. Haec Paullus pater. **D**IES iam plerosq. deduceret; ꝛ Horas ducere, dixit Virg. lib. vi. & hic fortasse Duceret, scriptum Cicero reliquit; quod etsi ita uidetur, assensum tamen, Academicorum more, sustineo. Haec Paullus pater.

CICERO

HANC Academiam nouam appellabant: quae mihi uetus uidetur: siquidem Platonem ex illa uerere numeramus, cuius in libris nihil affirmatur, & in utramque partem multa differuntur, de omnibus quae ueritur, nihil certi dicitur. sed tamen illa, quam exposui uetus, haec noua nominetur: quae usque ad Carneadem

perducta, qui quartus ab Arcefila fuit, in eadem Arcefilae ratione permansit. Carneades autem, nullius philosophiae partis ignarus, & ut cognoui ex ijs, qui illum audierant, maximeq. ex Epicureo Zenone, qui, cum ab eo plurimum dissentiret, unum tamen praeter ceteros mirabatur, incredibili quadam fuit facultate.

Et multa ex primo hoc libro, & tres reliqui desiderantur.

EXPLANATIO

Veritas est in rebus... (faint Latin text)

CICERO

Veritas est in rebus... (faint Latin text)

EXPLANATIO

Veritas est in rebus... (faint Latin text)


CICERO

Veritas est in rebus... (faint Latin text)

PRAESTANTI · VIRO
IO. IACOBO · TVRRESINO
CREMONAM

Aldus Mannuccius, Pauli F. Aldi N.



 *M* ex ea familia me natum considero, in qua semper uerus honor, & splendor uirtutis enituit, quaeq. tantum litterarum studiosis profuit, incredibili afficior desiderio, ut omnes intelligant, quidquid in me facultatis aut iam est, aut erit aliquando, in his, in quibus assidue uersor, studijs, uelle me, totum publicae utilitati inseruire. quamobrem M. Tullij Ciceronis libros omnes, qua licebit industria, in omni tempore, in omni uita mea magis quotidie exornare studebo: ut institutum domesticum retineam, de litteris benemerendi. Quid enim hoc in genere non praestiterunt Aldus auus, & Paullus pater? quorum unus Graecas litteras quasi ex Italia iam diu exsules reuocauit: alter Latinae eloquentiae post Ciceronem, omnium consensu, parens exstitit. Hosce ego imitatus, quantum mihi licuit, summum studium, atque laborem contuli, ut Ciceronis opera omnia illustrata exeant, atque exornata; quae testentur animum, & desiderium meum. quod uel ex his libris, quos de Fimbrijs inscriptos ad te, uir praestantissime, mitto, intueri facile poteris. in quibus si diligentiam meam aliquando requires, erit sapientiae tuae, nosse, perturbari me ab ijs, quae numquam nec Auum, nec Patrem perturbarunt. haec sunt publica munera, quae recusare nec uolo, nec debeo. ut Patriae quidquid possum praestem. Exstabit hoc certe amoris mei te-

F 2 stimo-